

1571

ce responsum tulit ; Senatui significaret , quæcumque polliciti fuerant , modo ne de pecunia reponenda agatur , Hispanos persancte servatuos affirmare ; quod indignum id tanto Rege dicerent , ac multis nominibus , si quid Reipublicæ deberetur , frumento , & commeatibus fieri satis posse . His a Columna in Patrum Collegio expositis , multa ad foedus statim percutiendum , vehementi dicendi , ac suadendi vi adduntur .

Tempus ad deliberandum petitur . Assiduis consultationibus modo in has , modo in illas partes res agitatur ; cum interim Philippi legatus Patres incendit , urget , pollicetur ; ab Rege mandata se habere inquit , Senatui ut significet ; certa spe foederis innixum , nihil eorum , quæ in usus belli necessaria sint , prætermisssæ ; triremes octoginta atque amplius , naves viginti habere ; multas copias comparasse ; Joannem Austriacum in promptu esse , ut , consensa classe , in orientem devehatur . Nec dubium , quin conjunctis viribus , multa , atque egregia ad totius christianæ reipublicæ , ac præsertim Venetæ commodum , atque incrementum tentari , & confici possint . Re a præconsultoribus ad Senatum delata , variis sententiis disceptatum ; cum alii , nulla interposita mora , foederi subscribendum ; alii adhuc cunctandum , atque de concordia cum hoste ineunda agendum esse arbitrarentur . Inter eos , qui foedus suadebant , præcipuus Paulus Theupolus , spectatæ prudentiæ , diuque in Republica administranda versatus , eminebat ; quem in hanc ferme sententiam locutum fuisse constat .

*Pauli
Theupoli
Oratio.*

Errare ac decipi illos vehementer existimo , qui inanis prudentiæ nomine subnixi , in ancipiiti maximarum ac difficillimarum rerum deliberatione semper hærent ; atque ea , quæ ab humano ingenio petenda auxilia forent , ex tempore , & cunctatione ducenda opinantur ; queque regere ac moderari ratione potuissent , casui & cuncta agitanti fortunæ temere permittunt . Ii tum demum se deceptos esse intelligunt , cum unidique terribili periculorum facie circumsepti , quo se vertant , quid parent , quo configiant , prorsus ignorant . Id ne nobis , Amplissimi Patres , contingat , præsentium rerum statum intuens summopere vereor , dum perplexa consiliorum ratione discenti , oblatum a Pio Summo Pontifice atque Philippo Hispano

niz.